


Heinrich Rudolph Redecker Caspar Friederich Koch


**Disputationem Iuridicam Inauguralem De Morte Quam Decreto & autoritate ...  
Ordinis in Illustri Varniaca Praeside Dn. Heinrico Rudolpho Redeker ... Pro  
Licentia Capescendi in utroq[ue] iure summos honores Publico eruditorum  
conflictui ventilandam proponet Casparus Fridericus Koch/ Gustr. Mechlenburg.  
... diem XII. Maii ...**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788036408>

Druck Freier  Zugang





N. N. 2 (178.)

ALLOGE

ESTIONUM  
RUDICARUM,

Philosophia ex utilissima juris  
M. 1771

DE PACTIS

Adversus Doctores

et Praesentes

Magistros Universitatis Rostockensis

THOMAE LINDEMANNI


H. D. & in Aula Rostochiana Pro-

ceptoris Juris Doctoris

JOHANNIS SEIFFERTII Baumburgensis

ROSTOCKII

ANNO MDCCCLXXI



ÆTERNO ANNUENTE NUMINE  
DISPUTATIONEM JURIDICAM  
INAUGURALEM

De  
**MORTE**

Quam  
Decreto & autoritate MAGNIFICI  
& Amplissimi Jctorum Ordinis in Illustri

Varniaca

PRÆSIDE

DN. HEINRICO RUDOLPHO

Redeker / J. U. D. PP. & h. t. Collegii

Juridici Decano, nec non Consistorii

Ducalis Assessore

Præceptore atq; Promotore suo ætatem  
venerando

PRO LICENTIA

Capescendi in utroq; jure summos honores

*Publico eruditorum conflictus ventilandam*

*proponet*

CASPARVS FRIDERICVS *Roch*

Gustr. Mechlenburg.

In Auditorio Majori ad diem XII. Maij

horis ante & pomeridianis.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXIV.

ET ERNO ANNUNTE NUMMI  
DISPUTATIONEM JURIDICAM  
INAUGURALEM

# MORTE

Decretio & auctoritate MAGNIFICI  
& Amplissimi Decem Ordinis Illustrissimi

DI. HEINRICO RUDOLPHO

U. D. P. & h. Collegii

Præceptoris, Promotoris ac

PRO LICENTIA

Expediendi in utroq; iure summos honores

CASPARVS FRIDERICVS

In Auditorio Majori ad diem XII. Maii  
horis ante & pomeridianis.

ROSTOCKII,  
Typis JOHANNIS KILLII, Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXXIV.

VIRI.  
MAGNIFICENTIA. NOBILITATE. AMPLI-  
TUDINE. PRUDENTIA. ET CLARITATE.  
ILLUSTRES.

INCLYTÆ. S. R. IMPERII. CIVITATIS.

LUNÆBURGI.

DNN.

CONSVLES.

SYNDICE.

CONSILIARII.

ET

SENATORES.

MAGISTRATUS. PIE BENIGNE. FELIX.  
LITERATORUM. CERTISSIMI. PATRONI.

ACCIPITE.  
CHARTACEUM, HOCCE, MUNUSCULUM.  
TENEBRIS, POTIUS, CIMMERIIS.  
QUAM, TANTORUM, VIRORUM,  
LUCI, CONSECRANDUM.

AST.

CUM, DEVOTA, SUI, COMMENDATIONE,  
ET, AD, ULTERIORIS, FAVORIS,  
AC, DEMERENDÆ, PROMOTIONIS,  
QUALECUNQUE, INCITAMENTUM,  
SUBMISSE, OBLATUM.

MAGISTRATUS, PIE, BENIGNE, FELIX,  
LITERARUM, CERRISSIMI, PATRONI

ACCIPITE.

HILARI HOC EST VESTRA FRONTE.  
PRÆSIDES. LITERARUM. INCOMPARABILES.  
PATRONI. OPTIMI.  
PATRES. CERTISSIMI SALUTIS. MEÆ.

TANTI NOMINIS. ADORATORE. HUMILI.  
CASPARO. FRIDERICO. COCH.  
PLURIBUS. APOLLINEM NON FATIGABO.  
VERBIS. QUIBUS. HUIC. MEO. MUNUSCULO.  
FAVOREM. CONCILIEM.

QUARE.

ACCIPITE INQUAM. ACCIPITE.  
DEUS. TER. OPTIMUS. MAXIMUS.  
CONCEDAT. INTER. HOS. BELLORUM.  
TURBINES.

VESTRAM. REMPUBLICAM.  
AD. ULTIMUM. MUNDI.  
DECRETORIUM. DIEM.

FLORERE. AUGESCERE.

Jova Juya!

**N**il quicquam in rebus humanis perpetuo firmum ejusdemq; naturæ optare licet. Quid enim est stabile inter homines & ita immutabile, ut nullam patiantur mutationem, cum omnis noster status sub motu consistat perpetuo? Exempla neutiquam deficiunt. Imperia nequeunt sibi æternitatem quandam polliceri. Iplum mundum periturum esse nemini constare non potest, utut de fine mundi summa subsit incertitudo. Quemlibet iccirco rerum humanarum instabilitatis meminisse oportet. Ea quippe cogitatio omnia mundana vana esse ostendet. Quinimò idem comperimus in universo juris nostri pelago, per quem longe lateq; sese profundunt MORTIS usus simul ac effectus. Patet id ex *Nov. 22. cap. 20.* juncto Gothofr. *ibid* & passim. Quæ materia hinc illinc latitans, me in sui amorem traxit, ut publicæ disquisitioni, pro impetrandis summis in jure honoribus aliquid de eâ submittere fuerit collibitum. Etenim partem ego duxtataxat magni hujus agri colendam mihi sumam, & post definitionem & varias divisiones percurram Judicia, quæq; inde mortis intuitu proveniunt jura. DEUS verò manum mentemq; regat, ut utilia depromam, salutaria videam, justa dijudicem.

I. Disserturi itaq; de MORTE, præmittimus loco præcognitorû, definitionem nominis & rei, postea subnectendo divisiones, variasq; in jure figuras. Derivatur autem mors à mortu primo hominis, qui per esum pomi mortem incurrit, si aliàs fidem meretur non solum Sebastianus Medices *in tract. Mors omnia solvit part. 1. num. 8.* Sed & Ioachimus Beust. *in enchiridio de arte bene beateq; moriendi p. m. 83.* licet potius gratâ verbi allusione, quàm vera vocis etymologiâ. Ad Grot. 2. de J. P. & B. cap. 16. num. 3. Utimur autem vocola mortis, ita ut ejus appellatione contineatur mors tam civilis, quam naturalis, prout tamen substrata id patitur materia, Sebast. Medic. *diâ. tract. part. 1. n. 23. & seqq.* Ulu enim verbi venit, ut civilis mors per aliquam purificationem æquè mors sit ac naturalis. Utramq; egregiis pro more delineavit verbis D. Georg. Frantzk. *Comm. in D. de LL. SCius & longa consuetud. num. XVII.* notissimum enim est, quod duplex sit verborum significatio scil. naturalis & civilis seu Juridica, quam præprimis JCI ex usu suæ professionis respiciunt, Cædd. *de V. S. in rubr. num. XIV.*

II. Mortem varii variè definiverunt, mihi præprimis curæ est, talem formare descriptionem, quæ possit habito respectu ad usum juris & præsentis Disputationis naturalem & Civilem mortem simul continere. Unde mortem definitio ademptionem vitæ. Ubi genus & differentiam non incongruè se habere puto: nam non ineleganter Arnob. advers. gent: *Adest, inquit, vicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens sentientibus vitam.* Jungatur l. 6. §. ult. D. de panis. Mors siquidem solvit ipsas vitales partes: unumquodq; autem dissolvi dicitur, quod ex partibus constat, & interit, l. 35. D. de R. Jur. l. 80. D. de solut. §. 7. Inst. de nupt. l. 6. 10 D. de Sponsal. & tot. tit. sol. matrimon. Unde etiam mors græcis dicitur *διάλυσις*, Gell. 2. noth. Attic. libr.

libr. 2. c. 8. adeoq; vera est ademptio & dissolutio vitæ interitusq; calor vitalis, Cœterum cum Jcti non tantum rebus animatis, verum etiam inanimatis, vitam & mortem tribuant, l. fin. D. de loc. & itin. publ. l. 3. C. de præscript. 30. annor. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. l. 3. C. de tempor. & repar. appell. l. 1. §. 1. C. de annal. except. l. 3. §. 1. D. quæ in fraud. cred. l. 2. D. de re judic. Rebuff. de V.S. ad l. 162. §. 1. tam generalem volui necesse definitionem, quæ possit commodè omnem continere speciem. Dicitur aliàs mors amissio animæ, §. 3. Inst. de publ. judic. mortalitas, l. 6. §. 7. D. de offic. præsid. l. ult. D. ad L. Jul. Majest. l. 2. D. de mort. caus. donat. l. 19. D. de vi & vi armata. Fatum l. 1. C. de O. & A. l. 6. C. de collat. l. 6. C. si reus vel decusat. mort. Interitus l. 4. D. de novation. l. 14. §. ult. D. depositi.

III. Mors aliter dividitur à Theologis, aliter à Ictis. Theologis mors triplex est, quæ contingit (1) per amissionem gratiæ divini, quando quis se segregat, à DEO & in peccatis Dæmonicis vivit, can. qui sine salvatore 26. qv. 2. can. non solum abnegat 11. qv. 3. cui opponitur mors bona, quando quis peccato moritur & DEO vivit, can. ut ostenderet, & can. seq. dist. 4. de consecrat. (2) separationem animæ à corpore, de qua thesi abhinc 2. (3) per amissionem æternæ gloriæ, Apocal. 20. 14 & ita Jure Divino concluditur à morte culpæ ad mortem gehennæ perveniri c. fin. dist. 7. de penit.

IV. Quoniam, uti rh. 2. dixi, LL. mortem etiam ad res vegetabiles & planè inanimatas extendunt, inde Mors, alia est personarum, alia rerum. Mors personarum est vel naturalis vel civilis: Naturalis vel in specie sic dicta, vel violenta. Violenta vel est invita vel spontanea. Illa est vel nocentis vel innocentis. Mors Civilis fit vel Maxima vel media capitis diminutione. Et quamvis manumissio in quibusdam morti haud sit dissimilis, tamen mors non est, l. 46. D. de furt. Mors rerum vel est ipsius rei, vel juris circa rem. Et hæc vel est juris in re, vel juris ad rem, de quibus speciebus præcipue in hac Disputatione agetur.

V. Mors naturalis est vitæ privatio, quæ fit per separationem animæ à corpore Goclen. in Lex Philosoph. vel secund. Cic. 1. Tuscul. qv. & Hotom. de V. S. discussus animæ à corpore, vel sevocatio animæ à corporis affectionibus, quæ Platonica vocatur. Græcis dicitur σάματ & καὶ ψυχῆς διάλυσις, Gell. ante all. loc. & hæc proprie mors est, quoniam civilis tantum mortis vicem representat, l. 29. §. 5. D. de liber. & posthum. & morti assimilatur l. 59. D. de condit. & demonstr. l. 3. C. de instit. & substit. Unde mors naturalis proprie ne quidem civilem continet, Gl. in cap. suscept. in verb. non morte. de Rescript. in 6. Tholos. libr. 17. cap. 19. adeoq; in re dubia naturalis mors intelligitur l. 48. §. ult. D. de jure fisci. l. 121. §. 2. D. de V. O. ubi Gl. Mors naturalis in specie sic dicta, & violentæ opposita, est, quæ nec à nocumento externo, nec à facto hominis violento, sed ab infirmitate interna alicui obvenit, Caranza de partu cap. 20. qv. 3.

20. qv. 3. licet hæc respectu adolescentum etiam suo modo violenta dici possit, quoniam vitam adolescentibus vis auferit, senibus autem maturitas *Cic. de Senect.* hoc est, tabescentia. Et hoc sensu proprie mors naturalis est, quæ in senio ex consumptione nativi caloris accidit, *Paul. Zach. tit. 4. Quæst. Medico-Legal. 1. num. 44.* Sed quia nullum est externum factum, verum interna infirmitas & morbi alicujus violentia, rectius illam naturalem, quam violentam dicimus.

VI. Mors violenta est, quando vis aliqua externa, & factum violentum vinculum illud, quod animam & corpus copulavit, dissolvit, quod variis modis contingit, legitime scilicet & illegitime. Puerperæ tamen non violenta, sed naturali morte perire dicuntur, propter absentiam violentiæ externæ, vid. *Zacchi. & Caranz dd. ll.* Invita est mors violenta, quæ invito illi, qui moritur, obtingit, & tunc vel nocentis, & vocatur ultimum supplicium, quatenus mors est omnium pænarum supremal. 21. *D. de pæn.* Jus autem ultimum supplicium inferendi iis tantum competit, qui jus gladii habent, *l. 23. qv. 8.* Gladius vero duplex à DD. statuitur, alter spiritualis, qui animam separat à DEO, *Tholof. libr. 47. c. 14.* alter temporalis, qui animam separat à corpore, *1. Reg. 15. Job. cap. 19.* Et mors hæc quidem una est, ad mortem tamen diversis viis pervenitur, prout variis pænarum generibus vita naturalis adimitur. *Callistratus* quidem in *l. 28. D. de pæn.* gradus capitalium pænarum constituens, refert vivi concremationem, capitis amputationem, & ad furcam damnationem, quibus *Marcell. in l. n. §. fin. eod.* addit bestiarum objectionem. Verum tam Jure Divino, quam Jure Gentium & positivo plures dari modos, mortis pænam inferendi, in confesso est, uti lapidatio, fundata *Levitic. 24. Deuter. 22. Johan. 8.* Jaculorum confossio, inter milites præcipue usu frequentata, vide *Jus milit. Svecicum art. 43* quod bombardas exonerari vult in mortis reos. Præcipitatio, qua pæna affecta impia *Jezabel* jussu *Jehû*, *2. Reg. cap. 9. add. Gel. n. cap. 18.* Huc etiam pertinet submersio, rotæ contritio, dilaniatio, & similes. Inquiram hic: An interrogatio pænarum etiam ad bruta & mortuorum cadavera extendatur? Regeo cû *Petro Theodorico Diss. X. Colleg. Crimin. 1b. 3. lit. B. Grot. 2. de J. P. & B. c. 21. n. XI. & cap. XIX. n. V.* non eo sine extendi, ut illud, quod non sentit, & in quod delictum proprie non cadit, puniri existimetur, sed potius ut monumentum pænæ publicæ in exemplum & terrorem aliorum ad posteros extet, & ne refricetur indigna facti memoria, *Gail. 2. Obs. no. num. 22.* Licet quoq; esse cadavera punitorum Medicis ad anatomen concedi, *Perr. Theodor. Colleg. Crim. Diss. X. 1b. 6. lit. C. Bachov. ad Tr. Vol. 1. Diss. 3. 1b. 5. Brunnem. in Inquisition. proc. c. 9. n. 44. Speckhan cent. 7. qv. 8.* statuunt, quod tamen nec facile, nec indistincte admittendum, cum demortuorum corpora sepelienda potius, quam dilanianda sint. Mors autem seu pæna ultimi supplicii nocenti variis ex causis contingit, quos collegit *Chassan. in Consuetud. Burg.* quo etiam referimus, quando quis alterum aggreditur, & ita cum moderamine inculpata tutelæ impune interficitur, *l. 1. C. unde Vi. §. 2. Inst. ad L. Aquil. l. 3. de J. & J. Innocenti*

verò ob homicidium dolo, culpa, vel casu commissum variè mors inferitur, ubi impossibile videtur omnes casuum species enarrare, quibus exposita est vita humana.

VII. Spontanea mors ea est, quando quis sibi ipsi violentas infert manus, quod detestabile factum vocatur proprecidium seu *αὐτοκτεσία*, de Jure Divino non modo, sed & Civili illicitum. vide *Genes. 9. l. fin. §. 6. D. de bon. eor. l. 23 §. 3. D. de edil. edict. August. de Civit. DE I cap. 26.* Magis enim peccat is, qui se ipsum interficit, quam qui alium, cum qui alium necat, corpus ipsius tantum occidere dicatur, animam vero lædere nequeat, ast qui semetipsum interimat, & corpus & animam nefandè perdit, Dn. Carpzov. *part. 1. Pr. Crim. qv. 2. n. 25.* Quid quod sepultura indigni judicentur, qui sibi ipsis non tam ex impatientia doloris, vitæ aut luctus, quam ex metu pænæ gravioris per *l. fin. D. de bon. eor. l. 6. §. 7. D. de re milit. mortem consciverunt.* Sed obijcient Homerus, Ælchylus, Sophocles, Moschio & alii nihil sentire mortuos, & proinde neq; damno, neq; pudore affici. Verum enim verò satis est id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccato retrahantur, *Gror. 2. de J. P. & B. 19. n. 5.*

IX. Cum tam rationi quam juri conveniens sit, ut mortui sepeliantur, jure Justiniano cuiq; sibi pro lubitu sepulchrum, dictum quasi seorsum à pulchro, ædificare integrum fuit, §. 9 *Inst. de R. Div.* licet in Urbe hoc fuerit prohibitum, tum lege XII. tab. *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* tum Constitutionibus Imperatorum *l. 12. C. de Rel. & sumt. fun. l. 3. §. 5. ff. de sepulc. viol.* quæ pœnam quadraginta aureorum in eos qui sepulcrum in urbe faciunt, statuit; ratio præcipua ex Physicis hæc esse videtur, ne si mortui in civitate sepeliantur, ex putrescentium corporum conditoriis vapores erumpant, unde pestilens contagio possit oriri *arg. l. 1. §. 2. ff. de Cloac. Carpz. lib. 2. Jurispr. Consist. def. 385. n. 4.* quod jus iterum abrogatum est *Nov. Leon. 53.* Imo & Jure Canon & moribus nostris in ipsis templis vel cœmeteriis in, aut extra urbem sitis corpora demortuorum humantur *tot. tit. X. de sepul. caus. 13 qv. 2.* Optandum tñ. videtur, uti mos ille antiquus revocaretur in usum, *Brunnem. ad l. Mortuorum C. de Rel. & sumt. fun.* Mortui tamen sine ornamentis sunt sepeliendi *Ulpian. in l. 14. §. 5. D. de Relig. & sumpt. funer. l. fin. D. de auro & argento leg. add. l. 113. §. 5. D. de Leg. 1. Leblcu in David. Illustrat. p. m. 254. Tholof. l. 33. Synt. c. fin. n. 29.* Nec absq; ratione sepultura alicui deneganda, *l. 27. D. de condit. Inst. Tholosan. Syntagm. libr. 30. c. 5. num. 7.* Cum horribile spectaculum sit videre hominem insepultum. Humanum enim, si memores mortalitatis sumus, sepelire, quod & Lex Attica jubet. *Cicer. 1. de LL.* quia imò sepultum corpus sine decreto Princip. effodere non licet, *l. 8. pr. D. de relig. & sumpt. funer. & l. 39. D. eod.* Adde *Richter. axiom. polit. reg. 313.* Dixi: sine ratione: Quidam enim sepultura planè indigni sunt, qui scilicet nefanda & enormia delicta commiserunt, unde Germanorum consuetudo, qua fures in patibulo relinquuntur, toleranda potius in exemplum aliorum, quam ut legi conveniat, vide *Heig p. 2 Q. 37. n. 17. 18.* Vel quibusdam sepultura honesta denegatur & potius afficiuntur caninà & asininà, *Carpzov. in Jurispr. Consistor. libr. 2. defn. 376. th. XI.*

IX. Mors

IX. Mors Civilis est, cum Juris Civilis ratione aliquis pro mortuo reputatur. Intereunt enim homines secundum leges non tantum morte naturali, verum etiam morte civili, quando maximam & mediam patiuntur capitis diminutionem, DD. & Gl. in l. Gallus. §. 5. D. de liber. & posthum. l. 64. §. 10. D. pro socio. Interitus vero vitam præsupponit, l. 16. de cond. furtiv. aut deportati mortuorum loco habentur, l. 4. D. de bon. libertor. l. 1. §. 8. D. de honor. possess. contr. tabul. cum proxima morti sit, l. 28. pr. D. de pen. Unde etiam pænis capitalibus maxima & media capitis diminutio annumeratur, §. 2. Inst. de publ. Judic. Nec de maxima capitis diminutione potest esse dubium, quia mori svavius videtur viro cordato, quam scivire, quod & illi qui bene philosophati sunt dixerunt Cic. Phil. 10. & lib. 1. Off. exempla habet Tholosan. libr. XI. Syntagm. c. 1. num. XIII. Sed Justinianus Imperator hanc pænam sustulit Nov. 22. c. 8. nec media capitis diminutio morte naturali levior videtur, quia apolides tantum ea retinent, quæ Juris Gentium sunt, l. 17. D. de pen. Imò deportatio gravior morte videtur, quia hæc omnium calamitatum finis, illa autem continuum supplicium arg. l. 5. C. ad L. Jul. Maj. Grave enim est à Patria liberis & amicis divulsum esse.

X. Subsequitur jam Mors rerum, quæ ipsæ res intereunt vel pereunt, l. 47. §. ult. D. de leg. 1. & ita etiam res non tantum mortuæ, sed etiam brevi perituræ mortuæ dicuntur l. 7. §. 1. D. de donat. int. Vir. & Ux. Non solum autem moriuntur res, quæ vim vegetativam habent, ut vites, l. 4. D. de censib. arbores, §. 38. Inst. de R. D. Sed & quæ sua natura nullum incrementum aut decrementum habent, ut viæ, l. fin. de loc. & itin. publ. l. 1. C. de Jur. emphyr. & tunc non tantum corporales sed & incorporales, uti actiones & lites, l. 18. §. 8. D. de dol. mal. l. 2. D. Judic. sov. Servitutes reales & personales, l. 15. D. famil. ercisc. l. 11. D. comm. præd. Leges etiam dicuntur sine fine vivere, l. 4. C. de dom. & protect. libr. XII. T. 17. Hering. de Fidejussor. c. 20. §. 10. n. 86. & seqq. Res autem corporales variis modis pereunt, modo casu, atq; ita fundum inundatione aquarum, vel chasmate aliove quo casu interire dixit Ulpian. in l. 10. D. de peric. & comm. rei vend. modo dolo vel culpa, arg. l. 16. D. de condict. furr. Nam quamvis is, qui est suarum rerum dominus & arbitrer, simul habeat potestatem rebus suis abutendi, modo non vergat in Reip. detrimentum, l. 8. D. pro empr. l. 2. D. si quis a par. manum. tamen propter rem alienam dolo vel culpa alicujus corruptam variè statuitur, arg. l. 5. §. 2. D. comm. l. 23. D. de R. 3. tot. t. ad L. Aquil. modo vetustate vel alia spontanea corruptione, d. l. 16. de cond. fiant. hoc est interitu naturali, l. 14. §. ult. D. de pos.

XI. Tandem ad Mortem juris circa rem mihi descendendum est, ubi considerandū, quomodo mortis efficacia circa actiones seu Judicia personalia & realia sese exerat. Utri enim partim ex jure in re ad quos res ipsa devincta est, partim ex jure ad re, quo alter alteri adstringitur ad aliquid dandum vel faciendū, l. 3. D. de Obl. & A. actiones nascuntur & dantur, ita aliz sunt actiones reales, aliz personales, §. 1. Inst. de act. quæ uti diversimodo nascuntur, ita diversis etiā modis moriuntur & pereunt, modo morte, modo

tempore, l. 24. pr. de lib. caus. l. 139. D. de R. J. jung. t. 2 J. de perp. & tem. A. Prius autem de judiciis realibus despiciendum est, quæ ex jure in re, quod quintuplex est, ut Dominium, t. 1. Inst. de R. D. Servitus, tot. tit. de Servit. Hæreditas, tot. tit. de acquir. hæred. Pignus, t. 1. De pign. §. 2. J. de A. Possessio t. 1. de A. P. t. 1. de Interd. Junge l. 13. §. 1. C. de Judic. l. 9. D. de hæred. petit.

XII. Dominium semel acquisitum, ejusque vindicatio ne utriquam expirat morte, sed devolvitur ad hæredem, qui ejus potestatis jurisque est, cujus fuit ipse defunctus, l. 59. D. de R. Jur. Hinc & dici solet, omnia commoda pariter ac incommoda, virtutes & vitia, quæ in defuncto fuerunt, transire in successorem. Caterum quid Juris, si res, quæ vindicatur non extet, sed mortua? Separatur rectè b. f. possessor à m. f. possessore, ac porro habenda est ratio, utrum res naturaliter, an culpa possessoris interierit, num lis sit contestata, vel minus, præcunctibus Dn. Schnobelio *Disp. V. ad P. th. 25.* & Struvio *Syntagm. Jur. Civil. Libr. VI. Tit. 1. th. 27. juncto Libr. V. th. 3. th. 60. 61.* variis Juris textibus munitis. Quoniam autem res mobilis triennio, res autem immobilis longo tempore, modo requisita usucapionis adsint, usucapitur *pr. Inst. de Usucap.* in facili est dijudicare, quo temporis curriculo Rei Vindicatio expiret.

XIII. Servitutes vel Personales sunt, vel Reales, illæ sunt, plena, ut Ususfructus, minus plena, usus & habitatio, de quibus omnibus in confesso est, non tantum finiri suo quasi fato, Hortens. *ad §. 3. Inst. de Usur.* sed etiam morte contingente illius, cui concessæ sunt, l. 3. §. 1. C. de usufr. naturali vel civili. §. 3. *Inst. de usufr.* prout alia Jura personalia cum persona extingui notum est, l. 68. l. 196. D. de R. J. l. 3. §. fin. D. quib. mod. usufr. amitt. Et quidem nisi hoc ita L. L. esset provisum, inutilis redderetur proprietario ipsa proprietas, utpote à qua perpetuam separationem aliàs haberet. Refringunt tamen hoc assertum, nisi speciatim convenerint partes, jus morte primi usufructuarii non extingui debere, ut ut hoc casu ultra primum hæredem non extendatur, *arg. l. 14. C. de usufr.* Vide Ludvv. *Comm. ad §. 3. Inst. eod.* propter regulam quam tradunt DD: In re sui natura ad hæredes non transitoria appellatione hæredum saltem continere primum, Frantz. *Comm. in D. quib. mod. usufr. amitt. n. XI.*

XIV. Nec silencio præterire queo, illud indagare, quanto temporis spatio extinguatur usufructus Civitati, municipio vel universitati relictus? Quia illa mori nequit l. 76. D. de judic. cum cives sempiterna quadam generis propagatione immortales censeantur, Grot. 2. de J. P. & B. c. 9. num. 3. Bodin. 2. de Rep. cap. 2. fluminibusque comparentur ab Aristot. 3. Polit. cap. 2 quæ eadem dicuntur licet alia aqua affluat, alia iterum defluat, hinc prima facie videbatur inanem esse penitus hocce casu proprietatem semper abcedente usufructu. Cœterum responderi potest, Rempublicam æstimari secundum finem vitæ humanæ longissimū, & proinde regulariter usufructū centum finiri annis, cum is finis vitæ longevi hominis sit, l. 56. D. de usufr. l. 8. D. de usufr. legat. Finckelch. *obs. Pract. C.* Dixi: regulariter; nam prius expirat, si universitas

titas, quæ deliquit, ante fuerit sublata, veluti si Urbs aratrum sit passa per l. 27. D. quib. mod. ususfr. amitt. uti aratrum post varias consultationes, quas videre licet penes Boxhorn. libr. Inst. polit. cap. 1. in explanat. inductum esse Historiarum Consulti præbent tam urbi Carthagenensium (non Civitati, prout cum Legatis Carthagenensium erroris convincit, Modestinum Bodinus 1. de Rep. VI. n. 50. 51.) quàm Mediolanensi civitati in Italia præpotenti, qua de re vide Boxhorn. histor. universal. sub anno 1562. p. m. 729. plura exempla qui nosse desiderat, reperire licet ap. Hennelium in otio suo Urtulavienfi cap. 8. Sanè ista aratri inductio non evincitur inde, quod oppidum per tempus sit desertum. Nam jure postliminii jus pristinum recuperatur. Schotan. in exam. Jurid. quib. mod. ususfr. vel usus amit. De aratro in condenda & iterum excindenda urbe adhiberi solito agit prolixè satis Alex. ab Alex. genial. dier. libr. 6. cap. 14. in fin. Hennel. ab Hennenfeld. d. tr. cap. IIX.

XV. Operas Servorū prioribus non adjunxi, per analogiam tamen connumerantur Servitutibus personalibus, quod singulare quiddam quoad amissionem circa illas obveniat, quod nimir. legatarius operarum morte sua non contristetur hæredes, l. 2. D. de usu & ususfr. legat. Nam id intenditur per concessas operas Servorum, ut utilitas immediatè ex facto alterius scil. Servi ipsi personæ competat, Struv. Syntagm. Jur. Civ. exercit. XII. th. 54. Frantz in D. de oper. Servor. n. 2. Ejusdem fatinæ sunt Servitutes reales, quales sunt, quæ non personæ, sed rei, prædio scil. debentur. Unde & morte non extinguuntur, sed ad hæredes transeunt, modo res planè non intereat, quæ interempta, & ipsa tollitur servitus, l. 14. D. quemadm. Servit. amit. Sin autem res restituetur, ipsa Servitus reviviscit quasi, Schotan. in exam. Jurid. tit. quemadm. servit. amittit. actio autem de servitutibus competenti longo tempore præscribitur l. pen. §. 2. C. de ususfr. l. 13. C. de Servit. & aqua. quod tamen tempus in Servitutibus realibus duplicatur, si usus non sit quotidianus, l. ult. C. de Servitut.

XVI. Subsequitur tertia juris in re species, pignus quod constitui posse ultimo elogio patet ex l. 26. D. de pignorat. action. Utimur autem hic locorum vocula pignoris generaliter sumpti pro jure in re, pignoris vel hypothecæ nomine subiecta constituto, quod parit actionem hypothecariam, & datur creditori propter jus reale constitutum adversus vel debitorem, vel tertium quoque possessorem, licet dolo malo possidere desierit, l. 16. §. 3. D. pignor. & hypoth. ad rem hypothecæ suppositam persequendam, §. 7. Inst. de action. l. 17. D. de pignorib. & l. 18. C. eod. quæ toto genere differt ab actione pignoratitia, quia hæc in personam est, & debitori datur contra creditores. §. ult. Inst. quib. m. re contrab. tot. 1. de pign. act. ut ut veteres abusivè hanc pro illa usurpaverint, teste Vinnio in Comm Inst. ad §. 2. de action. num. 6. Actio hæc hypothecaria morte non extinguitur, sed jus quod in re consistit quemcunque possessorem cum suo onere comitatur. Semper enim possessor obligatæ rei conveniendus venit, l. 2. C. de hæredit. action. hoc solum observato, quod in hæredem hypothecam possi-

possidentis competat, non quia hæredesunt, sed quia possident. Oldendorp. *cl. 30 act. X.* uti autem rei interitu perie pignus, *l. 6. 8. De quib. mod. pign. vel hypoth.* ita etiam actioni hypothecariæ, variè præscribitur, modo longo tempore, modo longissimo, & tunc vel 30. vel 40. annis, *Pac in Anal. C. de præscript. 30. ann. num. X.*

XVII. Quarta Juris in re species est Jus hæreditarium, quod quidem amplissimum præ cæteris & fertilem campum disputandi præbet, pro ratione tamen instituti coarctandum. Certè finis, quem disponens ultimo suo elogio intendit, is est, ut effectui detur id, quod post mortem suam fieri vult, §. *1. D. qui testam. fac. poss.* proinde omnia in casum mortis conferuntur, ut non prius, quam morte disponentis subsequuta vigorem recipiat, quod innuit textus Biblicus *Ebreor. 14 v. 37.* & viventis nulla detur hæreditas, *l. 1. D. de hæred. vend. c. cum Marthe 6. X. de celebrat. missar.* Unde videre est mortem certo respectu quid solvere, certo etiam respectu quid confirmare. Certo respectu supersticibus, ac certo respectu morientibus esse mortem gratam. Illis quidem ob successioneis emolumentum. His ob supremæ voluntatis liberrimum stylum, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. *l. 1. C. de SS. Eccl.* Ast dixeris, obstare vulgatum canonem, unum & idem non posse generare contrarios effectus. Cæterum haut absolum est, unū & idē in diversis subjectis diversosimò contrarios posse producere effectus. E. gr. mors naturalis avi, operatur distractum potestatis, quoad avum, novamq; potestatem generat quoad patrem. Adeoq; jus Domini, quod morte Domini solvitur incipit jus hæredis esse, qui proinde acquirit universum jus, quod defunctus habuit, *l. 62. D. de R. Jur. l. 24. de V. S. & hoc est jus in re, cujus intuitu hæres hæreditatem defuncti vel lege, vel Scto vel edicto petit. r. t. D. de petit. heredit. & tit. seqq.*

XVIII. Quoniam autem præcipue testamento jus hæreditarium alicui competere dicitur, Quær. Num ad mortem damnati novellis legibus rectè testari possint? Quod utiq; affirmandum *Nov. 22. cap. 8. & auth. Sed hodie. C. de donat. inter vir. & uxor.* Schnobel. *Disp. XVI. th. 5.* Ludvv. *Disp. VII. th. 4. lit. I.* ubi allegat Clar. de consuetudine generali hujus opinionis testimonium perhibentem. Videri & addi potest post alios a se allegatos *Carpzov. part. 3. const. 6. definit. 1. & 2. Coler. decis. 34. Colleg. Jur. Arg. ad tit. qui testam. fac. poss. num. 7. m. 6.* Dissentit *Bachov. ad Tr. Vol. 2. Disp. X. th. 2. lit. A. Gail. libr. 1. de P. P. c. 19. n. 8. & Vinn. ad pr. Inst. quib. non est permis. fac. testam.*

XIX. Jure civili testamento vel Lege hæreditas alicui defertur, non autem regulèriter pactis. De jure tamen Can. quod moribus observatur, filia renuncians paternæ hæreditati *c. quamvis de pact. in 6.* hoc efficit, ut nepos succedere nequeat avo, nisi ante eum moriatur filia renuncians. *Carpz. part. 2. Const. 35. defin. XI. XII. Dauth. ad dict. cap. quamvis num. 44. Perez. in C. de liber. præter. n. 6.* Est enim renunciatio hæc personalis & habet hanc conditionem tacitam, si hæreditas deferatur, quoniam autem parentibus renunciantibus mortuis, vivo tamen adhuc avo non fuit delata hæreditas, nepotes proprio veniunt jure, nec Parentum renunciatio illis nocet, quia effectum legis non potest impediri.

XX. Quo-

XX. Quoad modum testandi inter alia observatur, ut actus testandi celebretur uno contextu, & ut adsint septem speciatim ad id rogati testes, ultimam testatoris voluntatem subscriptione ac ligno corroborantes. Verum enim verò quid obrinet, si unus aut plures de testibus in testamento adhibitis, ante aperturam testamenti vitam cum morte commutant, ane infirmatur inde testamentum? Non reor, præprimis cum sigillorum inspectio & subscriptionis recognitio requiratur, non ut formalis aliqua testamenti solennitas, sed ad certiore probacionem voluntatis. Possunt autem alia superesse documenta liquido probantia, testationem mentis esse revera iusto ac præscripto modo actam & peractam, utut veteres Juris interpretes divortium olim ab hac sententia fecerint, ut ex Viglio probat Vinnius in *Comm. ad §. 7 Inst. de testam. num. 7.* De quo hodie minus dubium esse potest, quia testamenta regulariter per Notarios conficiuntur & instrumento corroborantur.

XXI. Ritè ita confectum testamentum, non uno infirmari potest modo. Inter ceteros contingit id querela inofficiosi testamenti, quæ competit liberis, parentibus & tandem certo casu fratribus & sororibus. Effectum tamen suum perdit querela hæc morte illius su perveniente, cui competit *l. 6. §. fin. l. 7. D. & l. 25. C. de inoffic. testam.* Stru. *Synt. agm. Jur. Civ. Exercit. X. th. 29.* Rationem hanc assignare solent, quia non constat, quæ fuerit voluntas cui querela competiit, ane eam movere voluerit, an vero exemplo Aphroniæ illius, de quâ Val. Max. *libr. 7. c. 8.* testamentum matris patientia honorare, quam iudicio convellere sanctius duxerit. Vindicatur insuper ex hæredationis Jus, ut proinde hic non solum agatur de rescindendo testamento & hæreditate petenda principaliter, sed & secundario de injuria vindicandâ, per *l. 8. pr. D. de inoffic. testam. Nov. us. cap. 5.* Ludvv. in *tract. de ultim. volunt. part. 2. cap. IV.* ut hinc non nisi præparata ad hæredes devolvatur, *l. 6. §. fin. D. de inoffic. testam.* excepto casu *l. 34. C. eodem.* Struv. & Ludvv. *dd. ll.* Cæterum diversum penitus obrinet, ubi non agitur ad rescindendum testamentum, sed ad supplementum legitimæ conditione ex *l. 30. C. de inoffic. testam. l. 3. C. de præscript. 30. annor.* quæ uti favorabilis, ita non tantum transit ad hæredes, sed etiam perpetua est. Gail. *2. obs. 120. n. 17.* cum querela inofficiosi quinquennio moriatur *l. 34. l. fin. C. de inoffic. testam.* Petitioni autem hæreditatis longissimo demum tempore præscribitur *d. l. 3. & l. 3. C. de annal. præscript. l. 7. C. de heredit. petit.* vide Gail. *2. obs. 120. n. 16.* & Hartm. *obs. Pract. libr. 2. tit. 23. obs. 2.*

XXII. Is porrò, qui ab in testato alterius lucrari amat hæreditatem, sufficienter, si opus sit, intentionem affirmativæ suæ probare debet, revera mortuum esse eum, cujus bonis inhiat. Besold. *4. Consil. 167. num. 130. & seqq.* Mascard. *vol. 2. prob. concl. 1073.* Probandi modum, qui varius existit, expressit jam tum Trentacinq. *libr. 2. tit. de probat. resol. 10. fol. 233.* Besold. *part. 3. cons. 91.* Maranta *ad l. 15. pr. D. de acquir. hered. num. 155. & seqq.* Sebast. Medic. *tr. mors omnia solv. part. 1. n. 72. & multis seq.* quos brevitas ergo allegasse sufficiat. Sed si actor vacillet penitus in probacione sua, quid tunc obrinet, quæritur? Præstò est cautela, fundata in *l. 3. C. de possim. revers.*

pro bonis absentis (uti tempore belli tota contingere solebat die, quo de diu absente dubitatur, an adhuc vivus existat, an mortuus) conservandis, nimir, quod bonorū curatōr alioquin hāres extiturus, sit constituendus, cui prāstitā idonea cautione concedenda illa administratio in spem usque redditus. Vide Fabri C. libr. 5. tit. 40. defn. 1. 3. 4. Carpz. part. 3. c. 13. d. 48. & 5. Resp. 83. n. 8. 9. Richter. decis. 65. & d. 66. n. 16. 17. Hahn. in Vvesenb. de hered. petit. n. XII. nisi alicubi vigeat mos aliquis singularis, cujus meminit Frölichius in Cynofura peregr. part. 1. libr. 3. p. m. 50. Id favore militum obtinet, quod mors militum possit testimonio Ducis militiæ judiciali sine speciali desuper prāstito juramento probari, qua de re Carpz. decis. illustr. Saxon. 24. Disceptari etiam tāpiuscule solet, si parentes & liberi simul perierint in bello, (in quo non nascuntur homines, sed moriuntur, Finckelth. obs. 85. n. 4.) ruina, naufragio, num parentes, num liberi prius mortui censeantur? Distinguit egregie Finckelth. obs. pract. 52. inter liberos puberes & impuberes, ut illi tantum supervixisse parentibus intelligantur, non hi, l. 9. §. 4. l. 22. l. 23. D. de reb. dub.

XXIII. Accessoria merito subjicienda sunt ipsis principalibus. Hinc postquam differuimus de testamentis, iisque accedere solent legata, apte satis sublequitur materia legatorum & fideicommissorum. Totum v. negotium, quod quidem latius deduci posset, sanè etiā mereretur, sed uti nec liber, ita nec licet, includere illa generali regula placet: Morte legatarii vel fideicommissarii, qui ante testatorem obiēre jus eorum interverti; morte vero rei legatæ contingente, attendendum esse, an res in specie, an in genere legata, habito insuper respectu, an legatum purè vel sub conditione relitum. Faciunt huc textus §. 16 & seqq. 7. de legat. l. 4. l. 5. §. 2. D. quand. dies leg. l. 1. m. §. 7. C. de cad. toll. aliique paralleli, quos allegare ratione temporis excludor. Vide interea Modestin. Pistor. conf. 36. qu. 3. Moller. 1. Semestr. c. 30. p. 84.

XXIV. Ordinem specierum Juris in re claudet possessio, quæ est detenito rei corporalis. Veniunt autem hic segreganda tempora acquisitæ, retentæ, & amissæ possessionis. Corpus & animus in acquirenda possessione concurrunt, l. 3. §. 1. 3. D. de acquir. possess. solus animus, vel animus & corpus in retinenda, l. 6. §. ult. & l. 9. D. de A. P. & in amittenda animus quidem principaliter, per consequentiam vero corpus requiritur, uti explicanda venit l. 8. D. de eod. tit. quæ aliàs repugnaret è diametro legi 3. §. 6. D. eod. Peretz. in C. ibid. num. 25. Hoc præsupposito ponimus, morte illius qui nostro nomine possidet, aut, ut verius dicam, in possessione est, possessionem non finire, secus vero si ipse dominus decedat, quo ipso sine facto apprehensionis in successorem non transit, l. 1. §. 1. D. de acquir. possess. Hinc rectè Grov. possessionis initium est corporis ad corpus adjunctio, qualis circa res mobiles maxime fit manibus, circa res immobiles pedibus, 2. de J. P. & B. cap. 8. n. XVI. & quidem in hoc possessio à Dominio differt, cum hoc sit juris, & ignorantibus etiam, invitisque acquiratur, §. 6. Inst. de heredit. quæ ab intest. deser. illa vero, nisi in jure se fundet, facti, l. 3. de acquir. poss. & cum sit longè debilior & fragilior, quam dominium, ideoque cessante animo possidend

dendi, principaliter morte, ipsa quoque obliteratur possessio, *l. 27. D. de acquir. possess.*  
*arg. l. 37. D. de acquir. vel omit. hered. Peretz, in C. de acquir. vel retinend. possess. num. 6.*  
Hahn. in Welsenbec. *ad hunc tit. num. 6.* quanquam etiam idem *num. 7. ex Fabri*  
*C. libr. 7. tit. 7. Defn. 5.* asserat, prorsus utili consuetudine multorum locorum invaluisse,  
ut ipso jure possessio quoque transeat ad heredem, qui proinde opus non habet agere  
aliquo remedio ad acquirendam possessionem proficuo. Consentit Peretz. *d. loc. n. 7.*  
Denique possessio per tempus lege definitum, quatenus rem corporalem vel incorpo-  
ralem, mobilem vel immobilem concernit, varie amittitur, ac ita alii iterum acquiri-  
tur. *101. tit. 3. & D. de Usucapion.*

XXV. Ex lege instituti jam est ordiendum jus ad rem, seu materia Obliga-  
tionum, cujus substantia in eo consistit, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid,  
vel faciendum, vel præstandum, *l. 3. & l. 25. D. de Obl. & A.* Obligatio autem oritur  
aut ex contractu, aut ex delicto, vel ex variis causarum figuris *l. 1. D. d. 1.* quæ recense-  
tur in *l. 52. eod.* Singula persequi raritas pagellarum, intra quas ex Lege Academicâ  
sanctè servandâ, sum coarctatus, penitus non permittit. Unde nemo vitio mihi vertet, si  
ea quæ potissima deprehendo, tantum in medium proferam. Certè contractus reales  
inde nuncupantur, quod præter consensum, seu formam contractuum communem,  
rei traditio accedat necesse sit, uti in mutuo contingit, cujus substantiale duplex con-  
stitutio, materiale, ut sunt res numero, pondere, mensurâ constantes, quæ uno verbo  
quantitates dicuntur. Formale, ut eadem res, functionem in genere suo recipientes,  
eâ lege tradantur, ut aliquando in genere reddantur. Unde cum non eadem species in  
mutuo reddenda veniat, *l. 2. §. 1. D. de reb. credit. evincere licet, mutuatarium, qui de-*  
*bitor est generis, non liberari rei interitu, cum res mutuo data pereat suo domino, &*  
*proinde nullum mortis effectum singularem hæc subesse, præprimis cum genus materia-*  
*le quid non sit, sed intellectuale, quod passionem & hinc interitum non recipit, l. 11. C.*  
*si cert. pet. & ad illam Gothofr. lit. m. C. Mutuo affine est Commodatum, in quo hoc*  
*unum, quæ rere libet. Si res (puta equus, bos &c.) commodato accepta, morte consuma-*  
*tur, cui pereat? Regeo, quod remotâ omni culpâ mors ascribatur do-*  
*mino rem commodato concedenti, cum mors animantium inter casus fortui-*  
*tos numeretur, à nullo in b. f. judiciis præstandos, l. 23. D. de R. Jur. l. 6. C. de pignorat.*  
*act. l. 18. pr. D. commod. l. 52. §. 3. D. pro socio.* quos textus, ut generales & cæteris  
contractibus realibus, uti deposito, & pignori communes allego, quibus mors non  
præstat. Adi & audi Vinn. *ad §. 2. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* nisi singularis  
quædam ratio in contrarium nitatur, puta si culpa casum præcedat, vel quis pacto  
casum in se receperit, quæ fieri posse docet, *d. l. 23. ff. de R. J. Add. Gail. 2. obs. 24. n. 6.*

XXVI. Verborum Obligationem quod concernit, probat, *§. 12. Inst. de inutilib.*  
*stipulat.* olim illam post mortem effectum suum sortiri hæud potuisse. At Justinianus  
hæc subtilia veterum commenta sustulit, *per rubric. C. ut actiones ab hered. &*  
*cantr. hered.* Nam ut ut ratio Juris veteris in eo erat fundata, quod olim stipulatio in-

non ente fundata non valeret, tamen hodiè provifum est, ut obligationes & actiones ab hæredibus & contra hæredes possint initium capere, quæ demortuo non competere, per *l. un. Cod. d. tit.* Cæterum quid si sub conditione possibili stipulatio concepta sit? Resp. Schnobel. *Disp. XXII. th. 24.* Illam spem debiti saltem futuri in stipulationem deductam morte non finiri, per *§. 4. Inst. de V. Obl. & l. 57. D. eod.* quanquam hoc secus in legato conditionali sese habeat, *l. 4. l. 5. §. 2. D. qv. dies legat. ced. l. un. §. 55. in autem 7. C. de caduc. toll.* Vide Gomez. *2. resol. XI, num. XII.*

XXVII. Cogniti porro juris, qui in Chirographo suo professus est, se accepisse pecuniam, quam tamen minus accepit, posse illum condicere syngrapham suam, vel si conveniatur, opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, & quidem intra biennium, vel si creditor apocham eo tradidit intuitu (quanquam hoc inter raro contingentia numerandum) ut debitum suum eò citius acciperet, intra 30. dies utiles per *l. 4. §. 2. C. de non numerat. pecun.* Sed quid si ipse principalis debitor vel creditor ante tempus consummatum humanis cedat, an mors tempus illud, quod fortean residuum est, successorì tollit? Id asserere detrectat Oldendorp. *cl. 4. tit. 30. n. 6.* & quidè ita, ut residuum temporis, quod restabat defuncto ipsi tantum indulgeatur, propter diserta verba *l. 8. C. eod.* cum hæc exceptio non personæ, sed rei cohæreat. Perez. *in C. eod. n. X.* quales ad alios etiam transire inculcatur expressis verbis legis *7. D. de Except.* quæ indistinctè competunt, postquam quis semel questus est, arg. *d. l. 8. C. de non numer. pecun.* Rationem subministrat *l. 139. D. de R. Jur.* scil. in Judicio per litem contestationem quasi contrahitur. Itaq; sit, ut post litem contestationem actiones (idem de exceptionibus) quæ morte aut tempore alias pereunt, semel inclusæ judicio salvæ maneant, & nova præscriptio inchoanda sit à litem contestatæ tempore, Bronhorst. *ad l. 38. D. de R. Jur.*

XXIIX. Expeditivimus contractus, qui re, verbis, & literis, constant. Consensusuales contractus sunt emptio venditio, locatio cond. societas, mandatum. Locatione cond. non excluditur emphytenensis, cui propria natura, nec ad locationem, nec ad venditionem inclinans constituta est *in §. 3. Inst. de Locat. cond.* Circa empt. venditionem ventilare licebit bigam quæstionum. Rei venditæ, sed ante traditionem morte interceptæ, damnum ad quem spectat? Repono ad emptorem. Etenim uti ad emptorem, omne rei commodum pertinet, ita & ex regula naturalis æquitatis plena *l. XI. de R. Jur.* omne incommodum eum manebit. Cæterum inter alia palmario ob stare dixeris brocardicum illud: Rem perire suo domino per *l. 9. C. de pignor. action.* Atqui ante traditionem venditor adhuc est dominus *in fin. §. 3. Inst. de empt. vend.* Huic objectioni rehero, quod ad jus antiquum, in quo differentia domini bonitarii & quiritarii obtinebat, sic respiciendum, vel cum Pacio ad *dist. §. 3. Inst. rei domino i. e. venditori perire quoad jus in re i. e. dominium; Emptori verò ratione juris ad rem i. e. obligationis, quia venditor liberatur, & nihilominus emptor, quia rem consequi non potest, precium*

pretium solvere cogitur, ac si rem ipsam accepisset. Hujus asseclæ sunt Schneidevvin- & Brederod. *ibid.* Vel etiam hic insisto vestigiis Dn. Vinnii *ad eund. loc.* rem perire domino, si idem dominus sit & creditor in ea re, quæ restitutioni est obnoxia, non item, si idem, qui dominus est, sit & debitor ejusdem rei, uti congrit in hoc nostro, aliisque contractibus, ubi res nunquam domino perit. Hæc tamen ita intellecta volo, si emptio venditio purè sit contracta, conditione enim nondum existente, neq; etiam damnum ad emptorem spectabit. Cessante quippe causa cessabit & effectus, Vide Vinn. *d. loc.* Majorem certè lucem toti negotio affundet Franzk. *in Com. ad D. tit. de per. & com. rei vendit.* In contrarium quidem nititur Cujac. *in tract. ad African. 8.* cui tamen satis omnio facit D. Hahn. *in Wesenb. de per. & com. rei vend. num. 1.* ubi itidem contra Grotium statuminat, hoc ipsum non abhorre à naturali æquitate. Porro notissimum est, ob læsionem ultra dimidium posse rescindi hunc contractum per notissimam *l. 2. C. de resc. vendit.* quæ tamen præprimis venditorem respicit, & ad emptorem non nisi per interpretationem extenditur. At quid si res apud emptorem perempta est, an ne nihilominus superest hoc remedium, an verò morte rei simul extinguitur? Distinctionis lædere totum negotium expediunt DD. considerantes, anne emptor sit læsus, an verò venditor, ut illo casu venditor conveniri possit, hoc minus. Vide Struv. *Syn. agm. Jur. Civil. Exercit. XXIII. th. 91.* & ibi allegat. *Rich. decis. 99.* Pinell. *in d. l. 2. part. 2. c. 1. n. 36.* deniq; Harprecht. *ad §. ult. Inst. de empt. n. 212.*

XXIX. De empt. hæc eni diæctis, officere videtur quod secus obrineat in locatio- ne conductione, quod est contra *l. 2. D. de loc. cond.* Rei enim periculum ad conducto- rem, (quippe qui non est rei conductæ dominus,) non pertinere constat ex *l. 15. §. 3. & l. 25. §. 6. 7. D. loc. cond.* ubi & exceptio fundatur casus ejus, quo mors unius vel alterius pecoris contigerit, qua de re adire licebit Carpzov. *part. 2. conf. 37. defm. 18.* Sed ratio- ne differentia omne tollitur dubium. Alia sanè est venditionis, alia conduct. ratio. Illa fit de rebus fungibilibus, & quæ sunt in rer. natura. Hæc vero sæpe numero fit de rebus, quæ non existunt, sed futuræ sperantur, ut fructus vel alia utilitas, quæ demum post finem locationis obventura est, mea facio verba Perezii *prelect. in C. de peric. & comm. rei vend. num. 2.* Porro ob stare asseres *l. 1. & l. 12. C. locat. cond.* Sed utar deci- fore Dn. Hahnio *in Wesenb. ibid. num. 16.* distinguendo inter res, an sint conductoris, an verò locatoris. Aliam insuper distinctionem adhibet Dn. Franzk. *in D. ibid. n. 206. 208.* Illud modo addo, quod diversum penitus obrineat in contractu Societæ vel Soc- cidia, de quo egregium tractatum scripsit D. D. Tabor, vi cujus modo conductoris, modo locatoris periculum vertitur. Uti enim ex conventionis formula, diversam naturam hic contractus induit, ita circa periculum & mortem animalium diversimo- de est statuendum, interdum enim venditionis, interdum locationis, interdum con- tractus innominati species videtur, præcipuè tamen in societatis regulas inclinat, un- de etiam Itali hunc contractum societam h. e. societatem dixerunt. Et tunc ex *l. 52. §. 3. D.*

pro sor. dist. inter pecus æstimato & in æstimato datum, & iterum inter casum fortui-  
tum absolutè & secundum quid ita dictum, seu inter casum majorem & minorem. Vid.  
Tabor. c. 7. d. tit. D. Frantzki. in D. pro socio n. 46.

XXX. Hæc juris sunt constituti, si res pereat; Perlustrare reliquum est,  
quid obrineat, si mors personæ scil. locatoris vel conductoris interveniat? Hæredes  
locatoris simul & conductoris stare actui tenentur, l. 10. C. loc. cond. l. 19. §. 8. & §. ult.  
Inst. eod. idem observari in emphyteusi patet ex l. 1. D. si ager. redig. Nov. 7. cap. 3. pro-  
pter rationem bene notam, & familiarem cæteris contractibus, l. 49. D. de O. & A. quod  
hæredibus omnia, quæ defunctus egit, quatenus Juris sunt, incumbant, Peretz. præ-  
lect. in C. loc. cond. n. 15. Dico; Hæredibus. Nam si jure particulari, puta emtio-  
nis, donationis vel legati titulo rem locatam quis consecutus fuerit, solvitur obliga-  
tio, l. 25. §. 1. l. 32. D. locat. Cond. l. 120. §. ult. D. delegat. 1. & l. 9. C. h. tit. Unde vulga-  
rum proverbium Rauff bricht Metts, de quo Pfeil. Consil. 129. Carpz. p. 2. const. 37. def.  
4. commendanda in hoc negotio præprimis venit opera Domini Frantzki in D. locat.  
cond. num. 226. seqq. ubi duas ab assertionem exceptiones offendet. Non abludit quic-  
quam Dn. Hahn in VVesenb. eod. lit. n. XIII. De Jure Saxon. veteri idem asserere dubi-  
us quis reddi potest propter lib. 3. ant. 77. Landrecht. Ex quo Juris Saxon. Interpp.  
(inter quos hoc in negotio invenio Schneidvv. ad §. 6. Inst. loc. cond. Muller, aliosque)  
eliciunt, locationem defuncti hæredes isto jure haud obligare. Verum enim vero du-  
bium textum jam resolvit Dn. Carpz. part. 3. const. 37. def. 1. vide Berlich.  
2. c. 45. Idem cognatam nostro proposito questionem tractat: An uxor lo-  
cationi fundi dotalis à marito factæ matrimonio morte dissoluto, & fundo dotali ad  
uxorem revertente, eadem huic contractui stare teneatur? Quod merito  
cum eo negamus juxta decisum l. 25. §. 6. D. sol. matr. Consentit Hahn. in Wes. locat.  
cond. n. XIV. quanquam humanitatem exerceat, sicubi locationem tempore modico fa-  
ctam agnoscat, judicio Bernhardi Schotani in exam. Jurid. tit. loc. cond. Treutl. vol. 1.  
Diff. XXIX. th. 2. lit. E. qui nil disparis obtinere ait, dum siccissim maritus non teneat-  
ur stare locationi factæ per uxorem ante dotis constitutionem.

XXXI. Singulare penitus obtinet in iis contractibus, qui personam magis, quàm  
cæteri, de quibus actum, respiciunt, uti sunt Societas & mandatam. Etenim is, qui  
alteri negotia gerenda mandavit, fidelitatem, & is, qui iniiit societatem cum aliquo, eo  
ipso elegit industriam personæ singularem, quæ in hærede planè incognita est,  
Quæ ipsa causa est, quod societas morte finiatur §. 5. Inst. de societate l. 4. §. 1.  
D. pro socio, nec ultra mortem socii porrigi potest, l. 52. §. 9. l. 63. §. ult. & l. 65. §. 9. D.  
eod. Idque juxta Grotium 2. de I. P. & B. c. 16. n. 16. solum ex jure civili est. Amplia-  
ri prædicta possunt, ut nec ab initio pacisci possimus hæredem succedere locierati, l. 34.  
l. 59. eod. cum naturæ societatis penitus repugnet, tum etiam hæres propter novos con-  
tractus

tractus suscipiendos in contractu societatis exoriri solitos de novo gravari non potest, nec debet, Bachov. ad §. 5. *Inst. de societ.* Cæterum quid si Juramentum eo nomine interpositum fuerit? Vide Frank. in D. *loc. cond. num. 123.* Id tamen evidens est, quamvis societas non transeat ad hæredem, ex eo tamen quod gessit, tenetur, & ut à defuncto cæpta perficiantur, l. 38. l. 40. D. *ead. lit.* Ita quidem ut ipsi lucrum ex societate etiam tribuendum sit, l. 3. C. *ead.* Peretz. *prel. in C. ibid. n. 16.* Id perspicuum esse ex l. 63. §. *fin.* D. *pro socio* adduco, quod mortua re, v. gr. grege ovium societas statim solvatur.

XXXII. Anticipando memini me dixisse, naturæ contractus mandati itidem esse consentaneum, ut id morte finiatur, §. 10. *Inst. de mand. l. 26. & 27. §. 3. l. 57. & seq. D. & l. 15. C. eodem*, respectu nimir. & mandantis & mandatarii, Corvin. *aphor. in D. ibid.* cum voluntas hominis morte finiatur, & homo mortuus velle desinat, Lud. v. *disp. XV. th. 3. lit. G.* ac præterea præstatio officii in mandato & ratione ejus cui præstatur, & ejus, qui præstat, tota personalis est, *c. ult. X. de offic. Judic. delegati.* Vinn. ad §. 10. *Inst. de mandato.* Exceptiones tamen ab hac regula duas subnectit Dn. Franzk. in D. *mand. num. 100. 101.* quo etiam refertur Præpositio Institutoris, quæ morte præponentis utilitatis causa non finitur donec à tutorib. vel hæredibus revocetur l. 17. §. 2. l. 11. pr. l. 5. §. 17. D. *h. t. ubi Duaren. c. 2.*

XXXIII. Sufficiat de contractibus nominatis. Innominatos quod concernit, pauca de iis attingere licebit. Nullum v. nisi hospitem in jure nostro fugit, æstimatorium contractum celebrari, quando Titius Sempronio equum tradit, eo nomine, ut illum, æstimatione adjecta vel vendat, vel si non vendiderit, ei pretium contractui huic adjectum reddat. Sed antequam venditio equi perficitur, equus moritur, quæritur, cujus sit interitus? Communiter respondent, probe attendendum esse, an æstimatio emptionis, an vero taxationis ergo facta sit, ut priori casu emptionem inducat, & per consequens mors s. periculum (idem de lucro) fiat suscipientis. Posteriori casu contrarium obtinet, uti id prosequitur longo ordine Dn. Hahn. in *Wesenb. de æstimat. ad. num. v.* à quo nil penitus recedit Franzk. *ibid.* ubi tamen probe est notandum, uter contractui causam dederit. Sed quæres: Quid sit discriminis inter res datas æstimationis vel taxationis causa? Venditionis causa res æstimata datur, quando pretium hunc in finem traditioni adjicitur, ut accipiens rem sibi habeat emptam. Huc refero l. X. §. 5. D. *de J. D. ibi: æstimatio venditio est.* Taxationis causa venditio fit, quando pretium hunc in finem adjicitur, ut sciatur, quantum sit præstandum, & ne alio, quam quo taxata fuit ipsa species pretio repetatur, quâ conditione & pacto frequentissime propolis res vendendæ dari solent, Frantzkio teste *d. loc. n. 4.* Certè hujus distinctionis, quam acceptum ferre teneor Fibigio *disp. v. colleg. Legal. qu. 5. semidec.* apprimè habenda erit ratio in hac non solum, sed & dotis, domini maritalis materia.

XXXIV. Antequam missum faciam materiam obviam, id novissime subnecto, inter proprietates contractuum innominatorum numerari, quod antequam ab una patet

parte acceperint implementum, poenitere alterum in iis liceat l. 3. §. 7. l. 5. in pr. & §. 1. D. de condict. caus. data causa non sec. Add. Fabr. Cod. Libr. 4. tit. 6. defn. 19. Hanc autem poenitendi facultatem morte interire statuimus, ut nec hæredibus licitum sit in contrarium niti. Defunctus enim cum ira voluerit, hæres jure merito in ejus voluntatem acquiescere debet, qui ex quasi contractu, dum scilicet adit hereditatem, voluntati defuncti contravenire nequit. Dn. Struv. *syntagm. Jur. Civ. exercit.* XIIX. th. XVI. Etenim cum voluntas morte finiatur, consecrarium est, & poenitentiam, ut voluntatem priori contrariam, finire, Franzk, in D. de condict. caus. non sec. num. XX, nequicquam dissentiente Dno. Hahnio in Wesenb. ad eund. tit. in fin. n. 2.

XXXV. Cætera quæ supersunt circa jus ad rem includere cogor paucis lineis. Et quidem cum juxta l. 139. D. de R. Jur. vel tempore pereant actiones, interitus quasi contractuum diversimodè quoque considerandus erit. Morte itaque illius, qui causam dedit contractui, remota conventionè, neutiquam expirant, sed ex iis emergunt actiones & hæredibus & contra hæredes salvæ, ut ut lis nondum fuerit contestata, vid. l. 12 & l. 49 D. de O. & A. tot. tit. C. de heredit. action. Id speciatim circa tutelæ administrationem incidit, quod ut tutur quocumque modo datus liberetur eo quo decessit momento, ita ut hæres non succedat in ea, l. 16. §. 1. D. de tutel. junct. l. ult. §. 1. D. de munerib. tamen post susceptam tutelam ratione administrationis gestæ hæredes nomine defuncti conveniuntur l. 1. pr. & tot. tit. D. de fidejussorib. & nominat & hered. tutor. & curator. ut non transmittatur ad hæredes eadè qualitate actio, qua adversus tutorem competebat. Hic enim etiam de levi tenetur culpa, hæredes vero tantum de dolo & lata culpa, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, l. 1. C. de heredib. tutor. Franzk exerc. 3. qv. X. Oldendorp. l. 4. ad. 31. Perez. in C. libr. 5. tit. 54. num. 12. Eadem quæ de herede tutoris jam dixi, obtinere existimo in actione subsidiaria adversus hæredes Magistratuum competente, per §. fin. Inst. de satisd. tutor. l. 4. de Magistrat. conveniend. l. 2. C. eod. Neque aliter actiones quasi contractuum tempore pereunt, quam solent aliæ personales, per l. 3. 4. 5. 8. C. de præscript. 30. vel 40. annor.

XXXVI. Ex delictis & quasi delictis descendentibus actiones, quæ pænales, morte extinguuntur l. pen. D. de nov. oper. nunciat. l. 20. D. de pæn. l. 16. D. de judic. Rei scilicet §. 1. Inst. de perpet. & temp. action. cum pœna suos tenere debeat auctores l. 1. §. fin. D. de privat. del. & iniquum maximè sit damnari hæredem nihil participentem de delicto demeritui, imò delicta personam non egrediuntur, ut proinde barbaries facta sit nocentem punire. Cujus rei ratio hæc est, quod obligatio ad pœnam ex merito oriatur, meritum autem sit personale, Grot. 2. de J. P. & R. c. 21. n. 12. libr. 3. cap. 2. n. 6. Quanquam hoc justam patiatur exceptionem eo casu (1.) ubi successor defuncti, locupletior inde factus, l. un. C. de del. defunctor. l. 44. D. de R. J. excepto casu l. 2. §. ult. D. vi bonor. rap. & (2.) si lis cum defuncto fuerit contestata, l. 26. l. 33. & l. 58. D. de O. & A. Gail. 1. obs. CXI. n. 1. Carpz. cent. 1. decis. 40. n. X. Quibus obstat jus Pontificium, quod indi-

2  
distinctè vult hæredem ex defuncti maleficio in solidum teneri. *fin. X. de sepult. cap. in literis X. de raptor. cap. IX. X. de Usur. can. 3. c. 16. qv. 6.* quod ideo statutum esse judicat Bronchorst *ad l. 38. D. de R. Jur.* ut hæres exoneraret conscientiam defuncti, quam rationem tamen non indubiam fecit D. Tabor, *in racemat. definit. criminal. ad Tit. 5. libr. 47. 1b. 32. Sand. ad l. 38. D. de R. J.*

XXXVII. Hoc addendum esse reor, in actione injuriarum id singulare occurrere, quod non tantum morte rei, sed & morte actoris penitus intereat, *S. 1. Inst. de perpet. & temporal. action. l. 13. pr. D. de injur. l. 15. §. 14. eod.* Posterius hoc commune est cum cæteris pœnalibus; ac prius ejus proprium est, & hanc habet rationem, quod in ea non principaliter de damno faciundo, sed de contumelia vindicanda agatur, quam vindictam si injuriam passus lite non instituta decesserit, tacite remisisse intelligitur. Sed tamen peculiaris ratio in contrarium militare potest. Sicubi enim Collegium quoddam, Senatus aut Universitas injuriâ afficitur, per mortem unius vel alterius, qui tempore illatæ injuriæ Senatui aut collegio erant addicti non tollitur actio; Aut si obstat vinculum personas conjungens, quo alteri mediâte infertur injuria, *l. 1. §. 3. 4. & l. 6. D. & l. 2. C. eod.* prout in terminis expressè recenset Dn Hahnus *in Wesemb. ad Tit. de injur. num. 6.* Tempore verò ita interit actio hæc, ut postquam præterlapsus fuit annus utiliter computatus, *l. 5. C. eod.* non nisi evanido conatu intentari possit. *Carpzov. part. 2. Pr. Cr. qv. 97 n. 20. Gail. 2. Obs. 105. Mynsing. Cent. 5. obs. 7.* quanquam eo ipso excludam actionem ex L. Cornelia, ut pote perpetuam, *arg. princip. Inst. de perpet. & tempor. act. Maranta part. 4. distinct. 1. n. 19. Fachin. 9. contro. jur. 7. Struv. Syntagm. Jur. Civil. exercit. 49. th. 64.*

XXXIIX. Idem de publicis judiciis erit judicium. Morte enim crimina extinguuntur, & cum iis pœna, *l. 6. D. de public. judic. l. 15. §. 3. D. ad Scutum Turpillian. l. 2. 3. C. si reus vel accusat. mort. fuer.* ut proinde morte sua reus præveniat pœnam, postquam exemptus est foro judicis, ut sistatur foro DEI. Quanquam id non destituatur penitus exceptionibus, quas congeffit Petr. Theodoric. *Disp. X. coll. Crimin. th. 7. lit. A.* ubi post mortem & inchoari & peragi potest pœna. Exemplum præbet *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* cui suo modo propter recess. Imperii de Anno 1548. & Nemesin Carolinam crimen tractæ Pacis annumerandum. An verò Christianè id ad posteros extendatur? Meum non erit decidere. Grotius dubitat ea de *libr. 2. de J. P. & B. cap. 21. n. XIII. seqq.* id demum assertu tutum deprehendo, in criminibus mortis pœnam haud posse indistinctè remitti titulo juris aggratiandi, Principibus jure superioritatis


tatis competentis, Maximil. Faust. ab Aſſchaffenb. in *Conſil. pro arario el. 1. conf. 46. ord. 135.* quippe ita ad delinquendum invitatur, Bodin. *1. de Rep. cap. ult. n. 167.* niſi detur aliquando locus diſpoſitioni *l. 31. D. de pœnis* cujus legis occasione celeberrimus Jctus Azo fatum ſanguineum experiri coactus fuit, *Gothofr. ad illam leg. Vid. Lanſ. in Conſultat. de princip. Europ. Orat. pro Italia. Fibigius Diſp. 1. Colleg. legal. Publ. qv. 5. n. 7.* Hoc tantummodo meretur adjugetur, præſcriptione *XX. annorum* perſecutionem delictorum publicorum excludi, *l. 12. C. ad L. Cornel. de falſ. adulterio* tamen præſcribitur quinquennio, *l. 11. §. 4. l. 29. §. 4. 5. 6. D. Gl. 28. C. ad L. Jul. de adult.* plures exceptiones collegit Carpz. *part. 3. Pr. Crim. qv. 141. num. 40. & ſeqq.*

Dixiſſe hæc ſufficiat de prolixâ hac materiâ. Quæ, ſi, quod omninò concedo, totam materiam non exhauriant, excuſabit me & ratio inſtituti, & temporis anguſtia, quæ imperaverunt facere quod potui, non quod volui. Lector Benevolus cætera ſuppleat, ac veniam concedat, ſi fortean erraſſe, me viderit, ſummoperè velim. Hac ſpe ſuffultus pono terminalia, poſtquam ſubjunxerim verbal. *ult. C. de Episcop. & Cleric.* Homini cuiq; curſus unus eſt vitæ ab Opifice datus, cujus ſinis eſt omninò

M O R S.


## JESU CHRISTO GLORIA.







2



caris competentis, Ma  
46. ord. 135. quippe ita  
nisi detur aliquando lo  
celeberrimus JCrus A  
ad illam leg. Vid. Lanf.  
Disp. 1. Colleg. legal. Pub  
scriptione XX. anno  
l. 12. C. ad L. Cornel. de j  
4 l. 29. §. 4. 5. 6. D. & l. 28  
part. 3. Pr. Crim. qv. 141.

Dixisse hæc  
omnino concedo, rota  
stituti, & temporis ang  
volui. Lector Benev  
orasse, me viderit, sum  
postquam subjanxer  
cursus unus el

JES

Afchaffenb. in Consil. pro arario el. 1. conf.  
m invitat, Bodin. 1. de Rep. cap. ult. n. 167.  
ni l. 31. D. de penis cujus legis occasione  
vineum experiri coactus fuit, Gothoff.  
princip. Europ. Orat. pro Italia. Fibigius  
c tantummodo meretur adjungere, præ  
onem delictorum publicorum excludi  
amen præscribitur quinquennio, l. 11. §.  
adul. plures exceptiones collegit Carpz

rolixâ hac materiâ. Quæ, si, quod  
on exhaustiant, excusabit me & ratio in  
veraverunt facere quod potui, non quod  
pplear, ac veniam concedat, si fortean  
Hac spe suffultus pono terminalia  
C. de Episcop. & Cleric. Homini cuiq;  
ce datus, cujus finis est omnino  
D R S.

TO GLORIA.

